



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Rigobertvs Ep. 4. Ianuarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Per Baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subijcere seruituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. I. de Nat. Chr.

S. RIGOBERTVS. EP. 4. Ianuarij.

Discite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatem aditis, amplius etiam vestram operam hanc condecorare; imò domi vestræ hoc est, apud animum vestrum veram nobilitatem quærere. Nos eâ in re doctorem ecce vobis RIGOBERTVM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenses infulâ ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coëgit, reditusque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multum delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTVS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel campi, vel agri lætius ridere, ridentibus nusquam mitius cælum arridere; Aurea tempora & æternum ver diceres. Sed & filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum post dictum) sacra fontis adinovit RIGOBERTVS. At Carolus ingratus, quòd urbem Rhensem dolo aggressus non admittus esset, apertâ vi post fratrem debellatum ingressus, Pontificæ sedè exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumulû nocte

con-

concubiã lux ingens visa, & voces è cælo auditæ, multùm humanã suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri obsecro est, quando cælo aures claudimus? *Ex Suario.*

Si tibi suggeratur in futurum tempus differre bonum propositum, consurge & dic. Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Si gula deserviens lautiores tibi commendaverit apparatus recalcitra & dic. Non est Dei Regnum esca & potus. S. Petrus Dam. in Pl. 57.

S. SIMEON STYLITA. *J. Januarij.*

ERubescit hoc die Ægyptus, cum in tam parvã chartã sepeliri superbas moles suas videt. Quid enim? ut mortuos suos, quã posset in cælum extolleret, surgere eò velut gloriæ humanæ scalas Pyramides jussit. At tu Lector, vide sis hoc die illum, qui vivus cælo jam cohabitavit, vivus Pyramides sibi quatuor posuit, invidiam non Ægypto modò, sed orco etiam facturas. Itaque SIMEON opilio primùm, post præaltã in rupe monachos inter Angelus vixit. Verùm cum ob mira, quæ maxima ac plurima patrabat, magni undique accessus fierent, novo miraculo columnas cœpit habitare, quarum quarta, & quæ ei ultima fuit, alta erat pedes IV. & L. Hic ille stare columna suã firmior; dormire, aut confidere nunquam; vix adeò unquam quid cibi capere, ea & agere & pati, ut hominem dubitarint; Regibus denique, ac Imperatoribus, imò orbi ad se confluenti vel oraculum esse, vel asylon. Indoluit hostis, & dolis, quos domi suæ habet, usus, in flammantem currum non jam SIMEONEM, sed alterum Eliam invitavit. Nec male profectò cessit astus. Verùm, cum altero pede jam extenso, sacrum Crucis signum efformasset.